

7205
17739
**PROGRAMMA IVRIDICVM
DE
SORITE FALLACI**

ET DE

SENSV

LEGIS CLXXVII. D. DE VERB. SIGNIF.

IVNCTA

LEGE LXV. D. DE REGVL. IVR.

QVO

**DISPVTATIONES SABBATHINAS
PVBLICAS**

INDICIT

ET

AD EAS AVDIENDAS

PATRONOS ATQVE FAVTORES

QVA DECET OBSERVANTIA

INVITAT

D. IOANNES TOBIAS CARRACH

ASSESSOR SCABINATVS ET IVRIVM PROFESSOR
PVBLICVS EXTRAORDINARIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRUNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

MDCCXXXVII.



Q. D. B. V.

§. L

Exercitium disputationum cum quibusdam Nobilissimis
Iuuenibus suscipiendum hac prefatione indicturus,
paucis de sorite FALLACI & sensu Legis 177. D. de Verb.
Signif. iuncta Lege 65. D. de Regul. Iur. differere consti-
tui. Nec alienum videtur, tractare de argumentatio-
ne, quia disputantes non raro vtuntur, de cuius natura tamen lon-
ge aiter & minus benigne sentiunt ICti legum citatarum auto-
res quam Philosophi recentiores. Ait VLPIANVS in L. 177. D. de
Verb Signif. Natur a cauillationis, quam Gæci οὐεῖν appellauerunt,
hac est, ut ab evidenter veris per breuissimas mutationes disputatio
ad ea, que evidenter falsa sunt, perducatur. Eadem est IULIANE
sententia in L. 65. D. de Reg. Iur. Abunde constat, ICtos hos, id
argumentandi genus suanatura calumniosum esse, adstruere AL-
CIAT. ad Leg. cit. 177. Plane aliter vero soritem explicant Philo-
sophi, qui recentioris, eam dicentes argumentationem redundantem,
in qua plures propositiones ita concatenantur, ut prædicatum
prime sit subiectum secundæ, prædicatum secundæ fiat subiectum
tertiae, & ita deinceps, donec tandem in conclusione colligatur prædi-
carum ultime de subiecto prime CHAVVIN Lexic. Rational. artic. so-
rites: ex his autem fraudulosa huius argumentandi generis indo-
les neutiquam apparet.

§. II. Quid ergo de ICtorum nostrorum sententia, soritis
naturam fallacem esse pronunciante dicendum. Sola enim plu-
rium propositionum coaceruatio, vnde nomen huius argumenti
τραπά τὸν στρόπον ab aceruo dictum, fraudis causa non est; et si qui-
dem FORTVNAT. CRELIVS Part. comm. L. 3. c. 23. hoc inclinare vi-
deatur: quippe SCHEIBLERVS Oper. Logico Part. 4. c. 13. Tit. 10. n. 86.
seq. dubia eius remouit; cum sorita possit ad ordinariam aliquam
figuram reduci, quod fieri non posset, si forma eius esset sophisti-
ca: & in unico syllogismo æque insidiosæ fallacie strui possunt,
quam in coniunctione plurium, atque in hac progressione enthy-
menatica.

A 2

§. III.

§. III. Neque tamen pro defendenda sorite aduersus ICtos
aliquid facient variantes Legis cit. 177. lectiones; sive enim pro
vocabulo *σωρίτην* cum quibusdam, referente BRECHAEQ ad h. Leg.
substitutas *σοφίστην*, sive cum aliis, ALCIATO loc. cit. exponente,
διαβολήν, vel *γοντειάν*, sive cum ipso ALCIATO & BRECHAEQ cit. loc.
σόφιστα ponas, frustra & superflue emendabis: cum de cauilla-
toria indole soritis alia existent testimonia. Sufficit quod inter
tractatus & questiones rāv. *ἀνόπου* id est inexplicabilium seu inter
questiones, quibus quis respondere vix possit, quin in captione
haereat, praeceps sit pseudomenos & sorites, quemadmodum ex
LAERTIO in Zenone Cittio, CICERONE in Hortens. AVGSTINO contr.
Academic. HIERONYMO in Ruffinum & Amof. exponit CVIACIVS ad
Africanum Tractat. s. ad L. 88. D. ad Leg. Falc. vide quoque dicen-
da & seq. Deinde contra ALCIATI lectionem valebit, quod ipse
ceteris opposuit; scilicet *σωρίτην*, vt ANTON. AVGSTINVS lib. 4.
emendat. cap. 16. legendum esse probat, rem magis specialiter ex-
primere: præsertim cum ex mox dicendis apperebat, descriptio-
nem, qua in hac L. 177. D. de Verb. Sign. continetur, soritis spe-
cialem indolem exactissime exhaustire.

§. IV. Proxime ad rem accedunt, qui soritem priscis vi-
tatem prorsus differe a sorita, quam ex recentiore Philosophia
§. I. accepimus, eamque fuisse captiosum aliquod interrogandi
genus, quo coaceruatis interrogationibus minutiatur & gradatim
addebat aut demebatur aliquid ROETENBEC. Logica Vei. & Nou.
P. 2. §. 207. not. a. SVEVIUS ad Tit. de V. S. lib. 2. pag. 418. nam
captiosas argumentationes, quibus Stoici, Megarici & alii anti-
qui Philo ophi vni sunt, a PLUTARCHO in libro de Repugnanti. Stoicorum
dictas esse *Μεγαρικὰ Συγκριτα*, notat MENAGIVS in Amant.
Iur. Ciu. cap. 1. IDEM EX LAERTIO in Euclide haec profert: Τῆς
δὲ Εὐκλείδεω διδοχῆς ἐσὶ καὶ Εὐθελίδης ὁ Μιλήσιος, ὃς καὶ πολλὰς
ἐν διαλεκτικῇ λόγῳ θέωτος τὸν τε Φειδόμενον, καὶ τὸν διδανθάνον-
τα καὶ ηλέτεαν, καὶ εγκαλυμμένον, καὶ κερατίνην, καὶ Φαλαρόν:
Ceterum ex eorum numero, qui Euclidi successerunt, Eubulides ex-
sistit Milesius, cuius multa sunt in dialectica interrogationum genera-
ra: meniens, fallens, electra, velata, sorites, ceratine & calua:
Quin id ipsum volunt haec legis nostrae verba: per breuissimas
muta-

mutationes DISPVATATIO ad ea que euidenter falsa sunt PERDVCA-
TVR: nam DISPVATATIO interrogatōnibus & responſionibus perfici-
ebatur lege dialectica, atque dialectica est ARISTOTELI *ερωτη-επωτη-επωτη-*
τικὴν, CVIAC. cit. loc. Mutationes autem iste breuissimae, quibus
disputatio ad aperte falsa perducta dicitur, hoc modo contingebant; si posteriores interrogatōnes aut æquiuocationem gene-
rūm non distinguēntes, aut in accidenti vel attributo peccan-
tes paralogismū efficerent GOEDD. ad Tit. D. de Verb. Sign. ad
Leg. 177. atque inde siebat, ut postquam ad priores quæſtiones aper-
te veras generaliter responsum, in subsequentibꝫ interrogatōnibus
aliquid addendo vel minuendo, accedente quoque aliqua criſi, mu-
tationes breuissimae fierent conf. ROETENBEC. cit. loc. §. 2077.
SCHEIBLER. cit. loc. n. 84. & sic ad has respondens caperetur. Ve-
rum quomodo inde captio interrogatōnibus tribuenda? num
ne mutationes iste infidioſe & cr̄p̄es fallaces aduersarium
æque irretire possunt, si propositiones plures citra interrogati-
onem iungantur? num qui non fatis prudenter ad mutationes
in quæſtionebus contentas respondet, prudentior erit, si propo-
ſitio simpliciter proferatur? mihi non videtur; præfertum cum
quamlibet interrogatōnem in propositionem simplicem facile
conuertere possis, & vice versa. Itaque nondum fatis appetet
antique fortis indeſ captioſ.

§. V. Sed nihilominus his vestigiis insistendum est, & quod ad-
huc deest, ex veteribus autoribus ſupplendum. Optime autem id
effici, ſimulque captioſa ſoritis natura cognosci poterit, ſi adeamus
A. GELLIVM, hic in Noctibus Atticis L. 16 c. 2 egregie enim exponit, ſimul
que conſilium, in ſidiis euadendi, ſuppeditar. Nimirum non ſolum
facile accidere poterat, ut, qui ad priores interrogatōnes aper-
te veras vniuersaliter responderat, induceretur, quo ad ſubnexam
interrogatōnem mutationem fallacem continentem, quam in-
cautus non ſentire, eque vniuersaliter responderet, neque criſi
& fraudem explicatione, diſtinctione & limitacione manifestaret,
& ſic denique ad aperte falsa deduceretur: verum, quod maximum
eft, non licuit ex lege disciplina dialectice responſio explicans, diſtin-
guens & limitans, ſed ad quæſtionem, et ſi fallacem contineret muta-
tionem, nihilominus generaliter reſpondendum fuit, niſi quis indo-

et us videri voluerit. Hinc factum, ut a sophistis insidias struenteribus per soritem necessario irretitus fuerit aduersarius, dum ad quæstionem primam aperte veram absolute respondisset, dein ad quæstionem subnexan prioris interrogationis iam concessæ prædicatum in subiectum & quidem cum additamento aut diminutione captio se conuertentem iterum absolute & etra distinctionem responderere deberet, vnde tandem colligendo prædicatum ultimæ de subiecto primæ interrogationis conclusionem sibi contrartam formari videret. Exemplo rem illustrat GELLIVS cit. loco, quod apud ipsum videtas. Quale itaque contra eiusmodi cauillationes dialeæticas consilium? ait GELLIVS: *non esse captio seis interrogacionibus respondendum:* idque recte: nam absolute affirmans capiebatur, absolute negans contra veritatem apertam nitiebatur, distincte respondens non admittebatur & indoctrinatam incurrebat; ergo nil restabat, quam ut placere non respondeatur. Ex his de antiquæ sortis natura fallaci simulque de sensu legum propositarum sufficierent constabit.

§. VI. Quoniam vero hodierni Philosophi soritem longe aliter definiunt, atque interrogations in argumentis minus sunt visitatae, & si quædam occurrant, lex tamen ignoratur, ne quoad externa verba responsio ab interrogatione discrepet, neve explicatio, distincio, limitatio responsioni addatur; colligo ex his & d' eis §. 2. & §. 4. *inf. fin.* eam pro cauillatione sua natura non esse habendam. Potius hunc rationandi modum iustis principiis nisi, nempe partim regula: *quidquid essentiali prædicione dicitur de predicate, id etiam dicitur de subiecto,* parcum etiam necessaria coherencens causarum proximarum & remotarum, item causarum & effectorum per se deduxit SCHEIBLERVS loc. cit. n. 9. vt tantum per accidens & abusum fiat, si failat. Recte itaque RÖTENBECC, cit. loc. § 2078. usum eius adstruxit. Nec minus recte, imo potius admodum commode hanc argumentationem in Juris Diciplina applicare possumus. Namque JCTOS omnino oportet esse sollicitos de certitudine doctrinarum Juris, ita tamen, vt hac in re obseruandum sit, ne nimia prolixitate & superfluis ambagiis sibi & aliis molesti fiant. Enimvero diffusa legum disciplina, cultorem Philosophia imbutum supponens, nec indi-

indiget nec fert, quo in quauis tractatione exordium capiatur
a primis principiis ontologicis, aut vbis syllogismorum perfe-
ctorum teres proferatur, ni insigni abutiu chartam, tempus, ope-
ram perdere velim: entymematisbus potius & sorite ab axio-
matibus & regulis proximis alibi deducit doctrinæ probandæ.
Taceo quod, qui vbi que concatenatos syllogismos & demonstra-
tiones gloriantur, non raro conglomeratis potus paraogismis
& ophismatibus fallantur & fiant. Sed hæc præfaminis loco
de sorite satis: cæterum adeas Philosophos.

¶. VII. Eorum causa nunc agenda est, propter quos tra-
ctatio suscepta. Nimirum necio, cur alicubi tuis sit exerciti-
i disputationi negleguntur inter juris cultores, quorum tamen fu-
tura applicatio Jurisprudentæ disputationibus fere absoluatur.
Facile colligi poterit, quomodo, siue in cathedris, siue in foris,
versatur sint milites primum exercitati, a critate ad pugnandum
destituti, & certandi prudentiae expertes: atque unde euenit,
quælo? vt iis, quibus cum visu plus animi quam scientiæ est, in
foris non raro succumbant cum de core hi, qui quidem regu-
las iuris satis callent, sed in confictum seruum descendere co-
guntur, cum pugnam instruere ludicri certaminibus academicis
nunquam dicerint, nunquam ausi fuerint: ast adeant velim,
THOMASIVM Dissert. de Charactere & circumspetione medici ad cu-
rand. tedium. process. §. 7. Attamen non defuerunt nec de-
sunt meliora videntes & sequentes: ex his etiam præsent tem-
pore nonnulli Juvenes Nobilissimi Jurum cultores ab indu-
stria, eruditione, morumque integritate commendandi flagita-
runt publicum exercitum disputationum, non ostendandi &
gloriæ captandæ, sed profectum excoledorū atque alacritatem,
vna cum prædientia ad futuram militiam togatam necessaria,
acquirendi ergo, non sine exemplo suscipiendum. Non obstante
laudabilibus conatus; sed quo magis finem sibi propositum ob-
tineant, sicutor fui, ut iuxta ordinem D. gestorum ad singulos eo-
rum libros singuli theses ederent in cathedra publica defenden-
das, quas pli intactas reliqui, quo facilior sit respondere de-
fensio, certis autem liberor oppugnatio. Itaque B. c. D. per
semestre spatum quovis die Sabbathi ab hora III. pomeridiana di-
sputa-

sputatio, & prima earum die XV. Junii a. c. habebitur in Auditorio Juridico auf der Waage. Respondebunt in hoc exercitio ordine, quem sors assignauit, eodemque opponentium officium sustinebunt Respondentem sequentes,

DN. IVSTVS GOTHOFREDVS MASCHKLAPPEN,
Quedlinburgensis.

DN. SIEGFRIED COESO AEMINGA,
Möllena Megapolitanus.

DN. ANTONIVS FRIDERICVS REIMERS,
Halensis Magdeburgicus.

DN. CAROLVS VRBANVS FRIDERICVS FRICKE,
Guelpher.

DN. MATTHIAS HESSLINGH,
Embda Frisius.

DN. ADAMVS IOACHIMVS SANDER,
Sedino-Pomeranus.

Qua propter, ut PATRONI & FAVORES sua præsentia
egregius horum Juvenum coatus firmatum addant, ea, qua
par est, observantia obnixe rogo. Dabam Halæ
die Vto Junii Anni MDCCXXXVII.



THESES
Occas. Lib. I. Digestorum
AB AVCTORE

IVST. GOTHOFRED. MASCHKLAPPEN

QVEDLINBURGENSI
PVBLICE DEFENDENDAE D. XV. IVN. MDCCXXXVII.

Thef. I.

LEges in republ. sunt necessariæ; etenim, si sine legibus in republ. viueremus, neque norma iudicibus prescripta esset, secundum quām hominum actiones diudicare debeat, facile affectibus in transuersum agerentur.

II. ICti atque Aduocati in republ. sunt necessarii *L. 2. §. 13. ff. de O. I.*

III. Iurisprudencia constat interpretatione atque adplicatione legum.

IV. Interpretatio dividitur in authenticam doctrinalem & vñualern.

V. Interpretatio authentica est secundum quid nova lex.

VI. Diff. et officium iudicis & Doctoris; hic interpretatur leges atque inquirit, num sint iustæ; ille vero easdem applicat.

VII. Ius scriptum tero apud Germanos inualuit. *Conf. CONRING. de orig. iur. Germ. c. 2.*

VIII. Scriptura non requiritur ad legis essentiam.

IX. Princeps suis non tenetur stare legibus.

X. Confuetudo derogat legi, & vice versa *L. 32. §. 1 ff. de LL.*

XI. Statuti sine principiis confirmatione non vaient.

XII. Priuilegia non debent ædere ius tertii, quamvis plurimum fiat: Exemp. um possunt præbere monopolia.

XIII. Priuilegatus contra æque priuilegiatum non vtitur suo priuilegio, nisi certet de domino vitando, alter vero lucrum capet.

XIV. Partus undecimo editus mense pro illegitimo non semper reputandus. *Cōf. FABROTTVS in diff. de temp. part. hum. CARPZ. L. 2. Conf. dfin. 225. n. 13. segg.*

XV. Matri filium illegitimum afferenti haud creditur.

XVI. Mater prægnans non potest terrori, quamvis a præstatione iuramenti non sit immunis.

XVII. Inter liberos legitimos & legitimatos adhuc hodie distinguitur.

XVIII. Quod hodie bello capti non detrudantur in servitutem, ex arbitrio gentium dependet.

XIX. Distinctio inter ciues & peregrinos adhuc hodie obtinet. Vid. Illustr. Cancellar. a LVDEWIG in *diff. de peregrin. albinag. & wildfang.*

XX. Quamvis matrimonium demum ultimo vitæ articulo contrahatur, tamen legitimatio per tale matrimonium adhuc fieri potest.

XXI. Ad essentiam legitimacionis per subsequens matrimonium non pertinent dotalia instrumenta in Germania.

XXII. Matrimonium inter compatrienos valet.

XXIII. Dantur tantum quatuor species iuris in re, nimirum, dominium, seruitus pignus atque hereditas.

XXIV. Liberi ante dignitatem susceptam progeniti eiusdem tamen dignitatis participes fiunt. *L.s. ff. de Senator. L. u. C. de Dign.*

THESES
Occas. Lib. II. Digestorum
AB AVCTORE

SIEGFRIED. COESO. AEMINGA

MOELLENA MEGAPOLITANO
PVBLICE DEFENDENDAE DIE XXII. IVNII MDCCXXXVII.

Thef. I.

I Vrisdicio opponitur mero imperio.

II. Iurisdictio strictissime non continet aliquam coactio-
nem.

III. Non executio, sed sententia est extremum in iurisdi-
ctione.

IV. Iurisdictio prorogatur per reconventionem.

V. Datur tamen reconuento citra prorogationem.

VI. De quacunque causa iudex cognoscere nequit per mo-
dum conventionis, de eadem nec potest cognoscere per mo-
dum reconventionis.

VII.

VII. Datur actio civilis ex æquitate.

VIII. Priuata auctoritate aduersarium inuitum obt orto col-
lo ad tribunal rapere licebat I. Rom. antiquo.

IX. Non licebat de domo sua aduersarium in ius vocare,
multo minus vi extrahere.

X. Diuisio citationis in verbalem, & realem non omnino
recta est, in ordinariam & extraordinariam est.

XI. In fideiussoribus mag.s diues consideratur, quam bo-
nus vir, & hoc quidem recte.

XII. Non abiurdum erat apud Romanos, quod quandoque
pro paupere pauper admitteretur fideiussor, & pro diuite requi-
reetur diues.

XIII. Actionis editio hodie fit per oblationem libelli.

XIV. Praefat in actionibus realibus causam petendi addu-
cere specialem, quamvis & generalis sufficiat in libelis.

XV. Reus actori instrumenta edere non tenetur.

XVI. Ex pacto nudo datur actio in Germania, non iure
Rom.

XVII. Distinctionis contractuum in bonæ fidei & stricti
iuris hodie usus nullus est.

XVIII. Transaction propter errorem non rescinditur, nec
per instrumenta nouiter reperta, nec per læsionem enormem.

THESES

Occas. Lib. III. Digestorum

AB AVCTORE

ANTONIO FRIDERICO REIMERS

HALENS. MAGDEBURGICO.

PUBLICE DEFENDENDAE D. XXIX. IVNII MDCCXXXVII.

Thef. I.

A Duocatus est persona idonea pro aliis postulans, h. e.
d. fiducia aliorum in iure & iudicio exponens, aut alio-
rum desideris contradicens. Inuentum aduocatorum
officium est, vt lites dirimantur, amicitia inter homines con-
serue-

seruetur, litigaturis succurratur qui suum tueri caussamque dī-
cere ignorant; quādēre publicū vocatur, & pro fure tam, quam
latrone, immo & hæretico postulare debent. *Diff. TIELEMANNVS*
in Disput. Pandect. Disp. IX. th. II.

II. Aduocatus dolo bono in causis peragendis salua con-
scientia & honestate vti potest; præsertim quādērum bonū m
iure diuino & naturæ adhibere prohibitum non sit *Genes. 22. §*
27. & Musculus in Genes. pag. 63r. Plura reperiuntur apud RIT-
TERSHVS. in *Com. ad L. 23. de R. I.*

III. Caussarum patronus salua conscientia, si aliud reme-
diū ad obtinendam iustam caussam non adest, aduersarii tur-
pitudinem allegare potest.

IV. Prohibitū foro, etiam domi litigantibus in scri-
ptis consulere nequit. *Dissent. WESENBEC. in Parat. ff. b. t. num.
5. & alii apud HILLIG. ad Dorell. lib. 18. cap. 3. lit. H. H. allegati.*

V. Salarium prota līte promissum aduocato ante litem
finitam non debeatur. *Diff. ZACHIAS de salario quæst. 13. num. 13.*
putans? id, quod ex legi dispoſitione debetur, ab initio solui debere
per abusum verſiculorum:

Annua si debes, tunc inspicias caput anni
Anno si debes, in fine teneberis anni.

VI. Tutor ante nuptias cum pupilla vel adulta etiam
nostris moribus ad reddendas rationes est obligatus, occasione
CARPZOVII Part. IV. Conf. 23. Def. 17.

VII. Condemnati fama, ob poenam grauiorem illi irro-
gatam etiam hodie conservatur. *Diff. MORNAC. & GROENWEGEN*
ad l. 13. §. 7. de hs. qui nos. infam.

VIII. Falsus procurator, de quo constat, quod manda-
tum non habeat, sub cautione de rato non est admittendus.

IX. Negotiorum gestor in negotiis periculosis ad leuis-
mam tenetur culpm; hæc nullam exinde sentiat vtilitatem.
Intuitu reliquorum negotiorum sufficit culpa leuis.

X. In dubio semper pro negotiorum gestore pronun-
ciatur.

THESES

THESES

Occas. Lib. IV. Digestorum

AB AVCTORE

CAROLO VRBAN. FRIDERICO FRICKE

GVELPHERB.

PVBLICE DEFENDENDAE D. VI. IVLII MDCCXXXVII.

Thef. I.

Restitutio in integrum est remedium extraordinarium, quo causa propter lesionem amissa in pristinum statum reducitur.

II. Restitutio in integrum non reddit causam meliorem, nec peti potest in foro contractus.

III. Datur etiam restitutio contra sententiam.

IV. Non omnis virueritas restitutio in integr. fruiur.

V. Foemina ob damnum, quod ex negotio curatoris auctoritate firmato patitur nec curatorem conuenire, nec restitucionem in integrum petere potest.

VI. Metum etiam contra magistratum allegare licet, si de facto processerit: Vnde tali iudicii potest resisti ut priuato.

VII. Fures adulterie si in furto vel adulterio deprehensi, dederunt & promiserunt restitutio gaudent.

VIII. Causa vrbium alia non fuit, quam metus & luxus.

IX. Actio de dolo non datur contra parentes & patronos nec homini plebeio contra aliquem in dignitate constitutum, nec propter rem minimam.

X. Minores aliquando in iudiciis sine curatore stare possunt.

XI. In genere de minoribus obseruandum: quod succurratur iis, vbi damnum passi; vbi dederunt damnum, refarcire, qua poenam autem mitius haberi debent.

XII. Restitutiones praetoriae in Germania inutiles sunt, excepta restitutio minorennum extensa iure Romano recentiore.

XIII. Hodie in ipsum iudicem compromittere licet: & filius in causa patris arbiter esse potest. Substitutio autem non valet.

XIV. Arbitrio iudicis relinquitur quod in iure definitum non est.

XV. Iure Germanico noua hospitia vel diuersoria in vrbibus in praeiudicium veterum instituere non licet.

XVI. Hodie die Verleihung der Tauerne i. e. locorum, vbi hospites recipiuntur, pro actu iurisdictionem probante qui- busdam in locis habetur. Imo ius erigendi diuersoria a nonnullis ad regalia refertur.

THESES
Occas. Lib. V Digestorum
AB AVCTORE

MATTHIA HESSLINGH

EMBDA-FRISIO
PVBLICE DEFENDENDAE D. XHL LVII MDCCXXXVII,

Thef. I.

P Rocessus tumultuarius, quem ius canonicum in notoriis permittit, nisi aliud est, quam tyrannis papalis.

II. L. C. generalis non sum in iure ciu. sed etiam canonico fundata est.

III. Ob suspicionem recusari potest integrum collegium, imo ipsa camera imperii.

VI. Recusatio iusta suspecti iudicis nulla est iniuria.

V. Dotem, licet alibi promissam, in foro mariti secundum huius iura repetere tenetur vxor.

VI. Remissiones delinquentium in Germania non sunt necessitatis.

VII. An iudex, a principe datus hac lege, ne recusari queat, nihilominus ob causam possit recusari; affirmatur.

VIII. Comitem Palatinum nunquam iudicis defungi, si quis imperatorem conuenire necesse habeat, imperatoriae maiestati haud derogaret. STRVK. Vf Mod. Tit. de Iudic. §. 24.

IX. Studiosi, licet magis Bacho & Veneri intent, quam Musis, nihilominus priuilegiis academicis gaudent.

X.

X. Non valet libelius querelæ in officiis, qua petitur sola rescissio testamenti.

XI. Recente dicatur abolita querela inofficiis, per dictum fori Gallici, *le mort fait le vif*, negatur.

XII. Legitima omnino est relinquenda titulo institutionis.

XIII. Clausula cod. c. excludit querelam inofficiis test.

XIV. Renunciatio querelæ, viuo adhuc patre non valet, at fecus, si pater renunciet.

XV. B. F. possessor nequidem lucratur fructus mere naturales.

THESES

Occas. Lib. VI. Digestorum

QVAS DIE XX. IVLII MDCCXXVII. PUBLICE DEFENDET

A V C T O R

ADAMVS IOACHIMVS SANDER

SED: NO - POMERANVS.

Thef. I.

REi vindicatio datur cuicunque domino, siue plenum siue minus plenum, pertuum vel temporarium habeat dominium.

II. Rei vindicatio datur contra quemuis possessorem, quo-uis modo rem teneat, modo restituendi habeat facultatem *L. 9.*
D. de Rei vindic.

III. Cum effectu tamen tantum contra eum, qui proprio nomine possidet.

IV. Hac actio semper supponit rem singularem.

V. Nihilominus datur ob vniuersitatem rerum.

VI. Hac actione conuentus malæ fidei possessor utiles im-
penas satem tollit.

VII. Utiles impensæ nequidem bonæ fidei possessor in-
distincte restituuntur.

VIII.

VIII. Iure Rom. bonæ fidei possessor fructus consumtos nequidem restituit vindicanti, et si inde locupletior factus: mores Contrarii, ad quos quidam prouocant, nec cum principiis iuris Romanorum nec Germanici conueniunt.

IX. Non est sine effectu, quod iure Romano fructus bonæ fidei possessor dicantur acquiri reuocab liter.

X. Inde quoque est, quod hic nequidem omnes fructus extantes restituere teneantur.

XI. In dote res succedit in locum pretii, & vice versa, indeque obtinet vindicatio rei pecunia dotali acquisitæ. Nec obist. L 12. C. de Iur. Dot. vide enim L 12 §. 1 C. Qui potius. in pign.

XII. Vindicantem repellere nequit possessor exceptione pretii soluti restituendi.

XIII. Actio publiciana est rei vindicatio prætoria.

XIV. In actione publiciana bona fides perpetua etiam hominis non requiritur, et si ius canonicum, malam fidem superuenientem præscriptionem impedit debere sanctiverit.

XV. Qui ex legato dominium rei habet, actionem publicianam mouer, et si ipsi res non cum fuerit tradita.

XVI. Contractus emphyteutarus est consensualis.

XVII. Hinc ad essentiam eius non requiritur scriptura.

XVIII. Aliud tamen est in emphyteusi ecclesiastica perpetua.

XXI. Laudemium soluit nouus emphyteuta, qui rem titulo singulari accepit.

XX. Terminus laudemii soluendi sub pena priuationis fundi emphyteutici iure cuius non est prescriptus.

XXI. Emphyteusis secularis ad omnes heredes vtriusque sexus transmititur.

XXII. Emphyteuta fundo iuste priuatus impensas in fundum factas non repetit.

XXIII. Germanica bona emphyteuticaria in multis differt a Romanis.



THESES
Occas. Lib. VII. Digestorum.
AB AVCTORE
IVST. GOTHOFR. MASCHKLAPPEN
QVEDLINBURGENSI
PVBLICE DEFENDENDAE D. XXVII. IVL. MDCCXXXVII.

Thef. I.

Seruitus recte dividitur in personalem & realem.

II. Quod iure Germ. mari competat vſusfructus in bonis liberorum, nec non marito in bonis vxoris paraphernalibus, non est iuris Romani.

III. Vſusfructus in sensu iuris Romani differt ab utili dominio. STRYCK in exam. iur. feud. c. 3. §. 14.

IV. Vſusfructus est pars domini L. 4. ff. de vſufr.

V. Vſusfructus iuris Germanici antiqui est dominium temporarium.

VI. Vſusfructus per legatum ipso iure constituitur, nec opus est traditione. L. 29. ff. de vſu & vſufr. legat.

VII. Vſusfructarius rem immutare non potest. L. 44. ff. de vſufr.

VIII. Vſusfructus pluribus coniunctim legatus omnium demum morte finitur. Idem obtinet in contractu vitalicio.

IX. Quasi vſusfructus etiam inter viuos constitui potest.

X. Datur verus vſusfructus vestimentorum.

XI. Quasi vſusfructus non amittitur abuso rei, quod alias in vero vſusfructu iuris est; sed potissimum morte naturali & ciuili l. 9. ff. de vſufr. ear. rer. quae vſ. conf.

XII. Quasi vſusfructus differt a mutuo.

XIII. Plus habet qui vſumfructum habet, quam qui vſum habet.

XIV. Vſus augetur, quando vſuarii familia aucta est.

XV. Differt habitatio a legato die frepe Wohnung. l. 32. ff. de donat. conf. voet. ad tit. de vſu. & habit. §. 7.

XVI. Habitatio ædium parochialium non oritur ex iure seruitutis, sed ex contractu innominate facio, ut des. Vid. Ill. BOEHMER in iur. eccl. prot. tit. de prab. §. 159. seqq. EIVSD. ius paroch. sect. V. c. 2. §. 18. seqq.

XVII. Cautio, ut vſufructuarius boni viri arbitratu vtratur fruatur, a testatore non potest remitti, l. 7. C. vt in pos. leg. Alteram vero cautionem, ut rem finito vſufructu restituar, testator remittere potest, quia vbi cunque potest vindicari.

XVIII. Qui cautionem non vult præstare, interim nec vti frui potest, modo cautionem proprietarius exegerit. NOODT de vſufr. lib. I. c. 19.

XIX. Quod si vſufructuarius sufficientem non possit præstare cautionem, alteri res vſufructaria locanda est, ut tamen quotan nis penſio vſufructuario præstetur.

XX. Vſufructus cedi non potest. l. 66. ff. de iur. dot. FACHIN. controv. iur. lib. X c. 51.

XXI. Proprietarius potest sine consensu vſufructuarii rem alienare.

XXII. Vſufructuarius non potest, si ædificauit repeterere impensas. l. 15. ff. de vſufr.

XXIII. Vſufructus est diuiduus l. 5. ff. de vſufr. vſus non est. l. 19. ff. de vſufr hab.

XXIV. Vſufructuarius debet præstare culpam leuem, non leuissimam l. 9. §. 2. l. 65. ff. de vſufr.

XXV. Vſufructuarius collectas aliaque onera præstare tenetur, quatenus non excedunt fructuum quantitatem. BRVNNEM. ad l. 7. ff. de vſufr. n. n. de BERGER in Oecon. iur. l. 2. tit. 3. §. 19. not. 7. in Pr.

THE.

THESES
Occas. Lib. VIII. Digestorum
AB AVCTORE
SIEGFRIED. COESO. AEMINGA
MOELLENA MEGAPOLITANO
PVBLICE DEFENDENDAE.

Thef. I.

Secundum Ius Rom. seruitutes in patiendo vel non faciendo confitebant.

II. Secundum Ius Germanicum seruitutes in faciendo confitentes possunt.

III. Dantur seruitutes rusticæ in vrbe & urbanæ ruri.

IV. Seruituti oneris ferendi per se non inest, quod dominus prædii seruentis teneatur reficere parietem oneri ferendo; sed id ex pacto speciali demum ipsi incumbit.

V. Est tamen seruitus ista de Iure Romano seruitus anomala.

VI. Iure Germanico autem non est seruitus anomala.

VII. Res sua nemini seruit.

VIII. Datur tamen viusfructus rei propriæ.

IX. Seruitutum causa debet esse perpetua de Iure Rom.

X. Ius pascendi, & ius compascui longe differunt.

XI. Aquæhauitus seruitus realis & personalis esse potest.

XII. Iudex aliquando recte se uitutes constituit inuito domino prædii seruentis.

XIII. In omnibus seruitutibus vicinitas non vero contiguitas prædiorum requiritur.

XIV. Actio confessoria ex seruitute, negotoria ex libertate naturali oritur.

XV. Eris petitum libelli sit affirmatiuum, tamen actio negotoria potest esse instituta, & vice versa vbi petitum est negatiuum, actio tamen potest esse confessoria.

XVI. Actio negotoria maiorem fauorem habet, quam confessoria.

THESES

Occas. Lib. IX. Digestorum
QUAS PVBLICE DEPENDET
AVCTOR
ANTONIVS FRIDERICVS REIMERS.
HALENSIS MAGDEBURGICVS.

Thef. J.

PAUPERIES in sensu iuridico est certa quaedam species damni ab animali manuero illati contra naturam sui generis nullo concorrente hominis facto; inde dicta quod hominem faciat pauperiem. Pauperies enim apud Latinos est paupertas & inopia. Teste ALCIATO ad l. 139. de verb. signif. & HORATIO lib. I. epist. I. v. 45. 46.

II. Actio quadrupedaria post iudicium acceptum impedit dominium noxae.

III. Mitiores sunt in actione quadrupedaria compilatores Legum XII. tabb. quam Teutones in expulsione animalis.

IV. Expulsio animalis in Germania admodum diffusa nonnullae deditio Romanorum & nulla huius species est.

V. Feras maiores prata vel agros deuastantes interficere licitum esse adfirmo, abstrahendo a legibus positivis uenationem in republica determinatibus.

VI. Lex Aquilia coerget damnum dolo uel culpa datum.

VII. Inutilis iure Germanico est doctrina de tribus capitibus legis aquilie immo & distinctio actionis legis aquilie & actionis in factum.

VIII. Recte se habent, qui ita statuant de his actionibus; minus recte autem, qui, ob damnum iniuria datum inficiando legitim quoque in Germania crescere, adserunt.

IX. Actio in factum de effusis & deiectis eti si sit praetoria penalis tamen est aliquando perpetua contra harum actionum indolem.

X. Actiones noxales ex delictis seruorum contra dominos iure Germanico non dantur.

THE-

THESES
Occas. Lib. X. Digestorum
AB AVCTORE
CAROLO VRBAN. FRIDER. FRICKE

GVELPHERB.
PVBLINE DEFENDDAE.

Thef. I.

A Cito finium regundorum vere mixta est. L. 1. ff. fin. regund.
II. Non competit hæc actio solum ad diuisionem
fundorum sed etiam ad iura.

III. Non autem datur de prædiis urbanis.

IV. Agrum in Germania planca circumdare non licet re-
gulariter.

V. Quod ad probationem finium pertinet; generalia & com-
munia signa inquisuisse vbique non sufficit, sed præcise ostendendi
sæpius: Jugd Gränzen, Gerichts Gränzen.

VI. Regula quidem est: probatio per testes aut instrumen-
ta semel absolute ordinarie non potest repeti: licet tamen iudici
probatione peracta inspectio ocularis.

VII. Iure Germanico præfectus iuri dicundo in vicis vulgo
der Gerichts-Berwalter, limites pagi sæpius (quod alicubi
quotannis fieri solet) cum sculpteto aliquo circumire tenetur.
Id quod vocant die Gränz-Beziehungen.

VIII. Res indiuisibilis actione fam. ercisc. non petuntur.

IX. Negante reo in actione famil. ercisc. auctorem esse he-
redem, hic probare tenetur.

X. Nemo inuitus tenetur manere in communione.

XI. Contra correum debendi recte agitur in solidum.

XII. Res pernicioſæ diuidi non debent, vitiōſæ autem resti-
tuenda.

XIII. Sententia ex falso verum facit.

XIV. Possidens rem communem ut communem nunquam
præscribit.

XV. Tituli fam ercisc. & de com. diu. differunt sicut
obiecto.

XVI. Etiam feudalia iudicio de com. diu. veniunt, ut & ius
decimorum.

XVII. Communio perpetua aliquando subsistit.

XVIII. Si quis in communione manere nolit, potest ad di-
uisiōnē agere, licet pacto aliter cautum.

XIX. Diuisiones prædiorn rusticorum dicitur Pferde, Froh-
nen und Hand Dienste thun iur. Germ. non sunt licita.

XX. Res communis plus licitanti adjudicari potest: Extra-
nei tamen a litatione possunt excludi.

XXI. Actio ad exhibendum ob quodlibet intereste institui-
tur contra quosunque possessores; & iudicium hoc est summa-
rium.

XXII. Datur etiam ad res immobiles incognitas.

XXIII. Locum hic habet iuramentum in item affectionis.

THESES.

Occas. Lib. XI Digestorum

AB AVCTORE

MATTHIA HESSLING

EMBDA FRISIO
PVBLICE DEFENDENDAE.

Thef. I.

Modus procedendi per positiones merito tollendus ob
periuria inde emergentia.

II. Non tamen in imperio abrogatae dici possunt
per Rec. Imp. de anno 1654. §. 37.

III. Iudici facultatem interrogandi non habenti, respon-
dere interrogatus haud tenerur.

IV. Quando positiones per contumaciam aduersarii pro
affirmatis habite sunt, ex causatamen probatio ab auctore pot-
est exigi.

V,

V. Positiones non admittuntur in caussis matrimonialibus eatenus, quatenus contra ipsum matrimonium iuramenti delationi non est locus.

VI. Actionem vtilem servi corrupti in filiis fam. corruptis locum habere ex l. 19. §. 1. de seruo corrupto euidens est.

VII. Ludos iure Nat. permisso esse statuo.

VIII. Indicium status corrupti est, quando promiscue tolerantur ludi.

IX. Pessima est quorundam ICtorum doctrina, legem, de non ludendo, cessare tempore pestis ad effugiendas melancholicas cogitationes.

X. Locum, vbi quis sepelitur, hodie sensu iuris Romani non fieri religiosum puto.

XI. Denegatio honestæ sepulturæ est genus peccati ecclesiastice, adeoque in consistoriis de ea decernitur, et si dissentiat STRYK de iur. c. 1. §. 5.

XII. Concionum & conuiuiorum funebrium abusus merito lege publica esset restringendus.

XIII. Solennis illa formula: Gott verleihe dem Körper in der Erden eine sancte Ruhe, ex papatu reliqua est.

THESES

Occas. Lib. XII. Digestorum

AB AVCTORE.

ADAMO IOACHIMO SANDER

SEDINO-POMERANO

PUBLICE DEFENDENDAE.

Thef I.

COntractus consensuales nil preter consensum desiderant.
II. Dantur adhuc hodie contractus litterales.
III. Mutuum dat, qui alias de rebus suis libere disponit.

IV.

- IV. Datio mutui etiam facte, sc. per breuem manum fieri potest. *L. ii. pr. b. l. de Reb. cred.*
- V. Distinctio quorundam iCtorum, quod dominium numerorum per mutuum in debitorem transferatur, dominium sortis penes creditorem maneat, lites circa translationem dominii in mutuo non expedit.
- VI. Dominium potius simpliciter in debitorem transfertur in mutuo.
- VII. Mutuum accipit qui se obligare potest.
- VIII. Mutuum sua natura est gratuitum.
- IX. Vnde non debeatur visura, nisi vel promissæ, vel mora a debitore in restituendo commissia fuerit.
- X. Tempus in contractu mutui præsinitam solutioni omnino obseruari debet.
- XI. Contractus chirographarius præsumptum mutuum est.
- XII. In contractu chirographario causa debendi specialis adesse debet.
- XIII. Iusurandum est propositionis assertio coniuncta cum invocatione Dei in vindicem perfidie.
- XIV. Nec furiosi, nec infantiae nec pubertati proximi ad iurandum cogendi sunt.
- XV. Non ipse iurans in dolo esse debet.
- XVI. Iuramentum dolo alterius vel vi metuque extortum nullum est.
- XVII. Post iuramentum præstitum deferens non amplius auditur.
- XVIII. Neque auditur sub praetextu, quod qui iuravit, dolose egerit, falso iurando.
- XIX. Reprobatio directo contrarii fieri potest per iurisrandi delationem? nec obstat *cap. 2. X. de Probation.*

(*)

THESES

Occas. lib. XIII. Pandectarum
QVAS PUBLICE D. XIV. SEPTEMBRIS MDCCXXXVII.
VENTILANDAS EXHIBET
AVCTOR

IVSTVS GOTHOFR. MASCHKLAPPEN QVEDLINBURGENSIS.

Thef. I.

Condictio furtiva originem trahit ex legis obligatione, non vero ex delicto.

II. Condictio furtiva potest institui a domino vel quasi, nec opus est, ut bona fidei possessio probetur, cum haec ex probato furto colligatur.

III. Condictio ex lege datur in subsidium, quando non constat, quo genere actionis agendum sit ex obligatione noua lege ciuili introducta. *I. vn. ff. de condic. ex lege.*

IV. Condictio tritaria hodie nullum amplius praestat vsum, quia apud Germanos exultant contractus stricti juris. Idem de actione de eo, quod certo loco dari oportet, afferendum. SCHILTER *exerc. 24. §. 64. seq.*

V. Constitutum conventionale non plane inutile hodie dici potest: pactum enim geminatum, quod hic occurrit, plures adhuc hodie producunt effectus, e. g. tollit exceptiones quasdam, que contra pristinum pactum obici poterant. Vid. BARBOSA *in thef. pract. sub voce geminatio.*

VI. In commodato requiruntur res non fungibles.

VII. In commodato non transfertur dominium, ne quidem iis in locis, ubi adhuc obtinet tritum: Hand muss Hand gewehren, e. g. Hamburgi, Lubecæ. Conf. MEIVVS *ad ius Lubeck. lib. III. tit. 2. art. 1.*

VIII. Commodatum datur ad vsum certum ac definitum, *I. 17. §. 3. ff. commod.* in quo differt a precario. *I. 1. Pr. I. 15. Pr. ff. de precar.*

IX. In commodato committitur furtum vsum, si res commoda-
ta ad alium vsum applicatur, qui non a contrahentibus definitus est.

X. Vsus rei commoda- gratutius sit oportet, alias degenerat
in contractum locationis conductionis; quamvis honorarium seu
artiodopov quoddam admittat.

XI. Ius retentionis non habet locum in commodato nisi ob
impensas in rem commodatam factas, l. 18. §. 2. & 4. ff. *commod.*

XII. Non exhaustum significatum commodati vox germanica
leyhen; est enim vox æqui voca, quæ etiam de mutuo dicitur, in-
terdum quoque de locato.

XIII. Commodatarius res commodatas rebus suis præferre
tenetur, l. 5. §. 4. *inf. ff. commod.*

XIV. Commodatarius præstat culpam leuissimam, non vero
casus fortuitos, licet omne periculum in se receptorum. Conf. FA-
CHINEVS *Controu. iur. lib. 2. cap. 70.* nec non l. 5. §. 2. in f. §. 3. & 4. D.
commod.

XV. Distinctio inter casus fortuitos insolitos & insolitissi-
mos non adeo inconcinnia.

XVI. Casus fortuiti non sunt exprimendi, quando de casu
fortuito suscipiendo conuentio initur.

XVII. Pignus in re mobili, hypotheca vero in re immobili
constituitur.

XVIII. Ad pignoris constitutionem requiritur traditio; non
æque, si hypotheca constituitur.

XIX. In iure German. datur hypotheca in persona debitoris,
qui iure obstatu se obligavit. In vernacula dicitur, sich zum Ein-
lager verſchreiben, quod hodie in Holſatia adhuc obtinet.

XX. Res aliena accidente domini consensu potest pignori dari.

XXI. Relutioni pignoris non præscribitur, l. 10. & 12. C. de
pignor. act.

XXII. Liceat pignus perierit, nihilominus tamen debitum
saluum manet. l. 6. C. de *pignor. act.* §. 4. I. quib. mod. re contrah.
Aliud de iure German. antiquo dicendum. Vid. *ius prouinc. Saxon.*
lib. 3. art. 5. Inde quorundam cautela, ut præter pignus debitor
chirographum, eine Schuldverschreibung, creditori daret; quæ ho-
die non amplius requiritur, assumptis principiis Romanis.

XXIII. Fructus fundi in antichresin dati non debent nimium
excedere legitimas usurpas, alias usuraria prauitatis suspicione pa-
ctum tale antichreticum laborat. Conf. *dissert. mea sub præſidio IL-*
LVSTR. BOEHMERICI habit. de suspectis conuent. form. §. 38.

XXIV. Lex commissoria in pignore non valet, cum usuraria
sit, l. fin. C. de *pact. pign.* ne quidem accidente iuramento, cum ad-
iecio iuramenti pacta inualida non possit confirmare. Vid. *cit. dis-*
sweit. §. 27.

XXV.

XXV. Vendito ob moram debitoris pignore, hyperocha
huic restituitur.

XXVI. Pignus potest creditori in folatum dari, modo iusto
fuerit estimatum pretio *l. 10. §. vlt. ff. de pignor.* Conf. ANN. ROB.
AVRELIVS *rer. iud. lib. II. cap. 8.*

THESES

Occaf. lib. XIV. Digestorum

AB AVCTORE

SIEGFR. COES. AEMINGA

MOELLENA MEGAPOLITANO
PVBLICE DEFENDENDAE.

Thes. I.

EX co ntractu cum magistro nauis exercitor conuenitur acti-
one exercitoria.

II. Regulariter ipse magister conuenitur dummodo ip-
sius officium adhuc duret. Nemo enim tenetur ex officio suo illo
finito quatenus sub qualitate officii contraxit.

III. Non requiritur vt exercitor nauis eiusdem dominium
habeat.

IV. Actio exercitoria non datur aduersus exercitorem ex
magistri delicto, nec obligatur exercitor, si aduersus legem præ-
positionis cum magistro contractum.

V. Caput legis Rhodiae de iactu tam æquum est, vt ad similes
casus recte extendatur. vid. LAVTERB. *dissert. de aequitate & extensi-
one legis Rhodia & l. 2. §. 3. ff. de lege Rhod.*

VI. Dominus non amittit dominium rerum imminentem
naufragio iactaram.

VII. Ob iactum res omnes, etiam quæ nauem non onerant,
vt gemmæ & vestes, imo ipsa nauis in contributionem veniunt. *l. 2.
§. 2. de lege Rhodia de iacta.*

VIII. Magistro nauis facilius conceditur, vt aliquid suo arbi-
trio facere possit, quam insitiori.

IX. Non est contra analogiam iuris quod pretium ex pecu-
lio redactum in tributum veniat, *l. 1. §. 2. ff. de tributoria tit.* verum
D 2 tamen

cumen manet, quod in singularibus pretium in locum rei, & res in locum pretii non succedat.

X. Pater, quo sciente negotiatus est filius famil. feruusue tribuere debet, quamvis non iusserit. *I. i. §. 3. ff. b. t.* huius legis ratio exstat in *I. 16. ff. de Reg. I.*

XI. Actio tributoria hodie non datur.

XII. SCtum Macedonianum in fauorem filiorum familias primario non est introductum, sed in fauorem patris, & odium sceneratorum.

XIII. Filius non potest renunciare beneficio Senatusconsulti Macedonianii, pater vero recte renunciat.

XIV. Si filius sui iuris factus vel expresse vel tacite debitum a se antea contractum agnouit, locum non habet hoc SCtum.

XV. Debitum a filio fam. contractum non ipso iure nullum est de I.R.

XVI. Ex mutuo filios fam. contractio oritur obligatio mere naturalis; hinc solutum repeti nequit, quod secus in SCto Velleiano.

XVII. SCtum solum ad mutuum pertinet, non ad alios contractus.

THESES

Occaf. Lib. XV. *Digestorum*

QVAS PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

ANTONIVS FRIDERICVS REIMERS

HALENSIS MAGDEBURGICVS.

Thef. I.

Non postrema est Quiritum laus atque gloria, qui in exercendo indagandoque ingenio fortuna atque industria omnem adhibuerunt operam, ut non solum se redderent feliciores, sed etiam potestati sue subiectos facerent cultiores. Quamobrem multa excogitarunt sapienter: in quibus, Quod filiis familias feruisque suis de substantia sua aliquid seorsim videnti & administrandi gratia commiserint, retento interim sibi istius dominio; unde peculia sunt exorta, quorum natales arcessit *VLFIANVS in I. 5. ff. de Pe-*
culia

culio, quum pecunias iis addixerint. *conf.* MENAGII *Amoenitat. Jur.*
Civilis c. 39. verbo: *peculium*. VALENT. GUILIELM. FOERSTER *Tr. de Do-*
mino cap. 6. n. 16. Primo enim pecudulas, deinde pecuniolas, de-
nique integros fundos, & sic pro varietate temporum & diuersi-
tate facultatum illis dedisse administrandos, legimus relatum.

II. Inde non est reprobanda Tuberonis descriptio peculii,
quam ex Celsō refert VLPIANVS, quod peculium sit: *Illud, quod ser-*
rus domini permisit seu filius familias patris permisit a rationibus do-
minicis aut paternis separatum habet, deducto inde si quid domino aut
patrificam. a seruo vel filio fam. debetur: quamvis melius sic defini-
rem, quod sit: Complexus iurium realium & personalium, que bonis
adnumerantur, cuius administratio alieni iuri h. e. seruo vel filiofa-
milias, concessa est, ita tamen, ut integrum dominium eius sit, cuius
iuri ipsa persona est subiecta. Omnia enim antiquitus vnius erant
generis & conditionis, & sicut a servo domino, ita a filiofamilias pa-
tri adquirebantur, quo cumque veniebant nomine. Imminutis ve-
ro sensim parentum iuribus, contigit quoque, ut iura adquirendi
per liberos, receptis postea peculiorum speciebus, pededentim in-
fringerentur; quare nunc Tuberonis descriptiōnem peculii hodie
profectio solum competere arbitror.

III. Voluntas & factum Domini vel Patris olim tantum con-
stituit peculia; sed nouiori iure citra voluntatem & factum quæ-
dam designauit peculia legis dispositio, inde peculium definitur,
quod sit: *Pusillum patrimonium illius, qui in alterius est potestate, a*
rationibus illius cuius potestati subiectus est, iure separatum.

IV. Quum vero peculium sit *pūsillum patrimonium*, sequitur,
quod omnes res in peculio esse possint tam mobiles quam immo-
biles, corporales & incorporales *l. 7. §. 4.5. ff. de Peculio*, & ex cauf-
sa sua nomen tribuunt peculio; inde sunt peculia militaria & pa-
gana. Militaria dividuntur in castrensia & qs. castrensia; pagana
vero in profectitia & aduentitia, quorum ultimam speciem dispe-
cunt in ordinaria & extraordinaria. Et haec variae species sepius
disputandi præbuerunt occasionem Doctoribus, utrum haec vel illa
bona ad hanc peculiorum speciem essent referenda, an ad illam;
quia quælibet species varios producit effectus, multum tamen
interest, ut sciamus istas peculiorum divisiones, ne in iudicando
impigamus. Quem fugit Doctorum dissensus circa pecuniam lu-
stricam? dum illam nonnulli ad aduentium ordinarium, nonnulli

ad extraordinarium, immo etiam nonnulli ad qs. castrense peculium referre solent. RADOVIVS in *Diss. de pecunia lustria*, cui respondebat B. STRYCK. in *Adnot. ad Brunnem. Ius Eccl. Lib. 2. cap. 1. Membr. 2. §. 13.* Prinam sententiam amplector sponte, dum in dubio magis regulare quam irregulare præsumitur; præterim quum absque lege plures casus aduentitii irregularis fingere non licet BOENIK. ad *Dig. Tit. de Peculio n. 21.*

V. Quod si igitur iure veteri voluntate & facto Domini vel Patris peculium erat constitutum illud tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum speculabat ad dominum vel patrem, & nihil praeter administrationem & filio & seruo erat concessum §. 1. *Inst. per quas perscriuere* I. Inde sequitur, filium aut seruum nihil sine iusta causa ex peculio donare potuisse, sive administratio libera, sive simpliciter aut non libera, filio aut seruo erat concessa. Fluit exinde questionis decisio: utrum filiusam: hoc peculium administrans, si ad actum lustricum inuitaretur, ut infantem ex fonte sacro suscipiat, neque aliam habeat pecuniariam, quam que in hoc peculio est, sine consensu patris munus baptismi dare possit? quod constanter adfirmo per l. 7. §. 1. de *Donation*: quia iuste donat, qui ex iusta causa munus legitimum modum non excedens aliis exhibet; posito tamen loco, quo ordinationes politice oblationem pecuniae lustricæ non reprobarunt, alias eiusmodi donatio magis esset viteranda quam laudanda, vii in *Ducatu Magdeburgico per Ordinat. Ecclesiast. cap. 3. §. 11. & Polit. c. 40. §. 4. cui iungendus est Artic XVII. §. 5. der Hâlischen Regiments Ordnung.*

VI. II. Et patrem & filium ex hoc peculio obligari, ita ut contrahentes cum filio familiæ duos habeant debitores filium in solidum & patrem duntaxat de peculio. l. 44. ff. de *Pecul.* Executio enim contra filium non obtinuit locum, quia propriis carebat bonis, dum non sibi sed patri omnia adquirebat; quamvis autem pater regulariter ex contradictu filii familiæ non teneatur l. 38. ff. de *O. & A. & acquisitio patri facta de commodistantum non vero de incommodis sit intelligenda: ex peculio tamen omnino fit obligatus in tantum, quantum in peculio est tempore rei iudicatae l. 3. §. 11. ff. de *peculio ob iuris rationem in voluntate & potestate patris latenter.* Et haec actio iure Prætorio non extinguitur, licet peculium filii aut serui morte, emancipatione aut alienatione sit extindut, sed intra annum utilem, quo experiundi potestas fuit, adhuc conceditur,*

ditur, ne res fraudi futura sit creditoribus, qui intuitu peculii considerant filio vel seruo. *I. i. §. 1. Quando de peculio actio sit annal.*

VII. Restant adhuc in hoc libro duas exceptiones & limitaciones regulæ: *Patrem ex contractu filii non obligari*, quibus creditoris subvenitur eo etiam casu, quo filius peculium non accepit; scil. 1) *Actio de in rem verso & 2) actio quod iussu.*

VIII. *Actio de in rem verso* hodie ab actione negotiorum gestorum non differt *non obſt.* *I. io. §. 6. de in rem verso.*

IX. In rem verso aliquando etiam realis est, aliquando ad minimum Ius prælationis tribuit. *I. 5. 6. pr. Qui potiores in pignore I. i. §. 2. de in rem verso.*

X. *Actio quod iussu requirit*, ut filius contraxerit in suam personam, si vero nomine patris contraxerit, directa actio ex contractu contra patrem competit.

XI. Hodie aduerfus conrahentem vel iubentem agitur, inde cessare videtur discrimen inter actionem quod iussu & actionem directam.

THESES

Occas. Lib. XVI. Digest.

PVBЛИCЕ DEFENDENDAE

AB AVCTORE

CAROLO VRBANO FRIDERICO
FRICKE

GVELPHERBYTANO.

Thef. I.

Obligatio mulieris ex intercessione iuualida est.
II. Fœminæ illustres sexus facilitate lapsæ SCto non juuantur.

III. Cessat priuilegium Senatus consulti Vellejani quando mulier nomine proprio quid accepit, & postea tertio donauit, it si donandi animo intercedit.

IV.

IV. Iur. Germ. ad carcerem se valide obligare potest mulier.
V. An pro marito mortuo recte intercedat vxor? affirmatur.
VI. In dolo esse dicitur foemina si reuera sucus fecit creditori, non autem si tantum sciuerit sensum Senatus Consulti Velleiani.

VII. Compensatio est mutui debiti & crediti contributio, & solutionis effectum haber.

VIII. Obtinet etiam contra rem publicam.

IX. Compensatio operatur saltem in favorem opponentis, vnde ex ea confessio debiti vicissim colligi non debet.

X. Alimenta futura non-compensantur.

XI. Compensationi locus est in delictis; etiam in uenditione sub hasta.

XII. Ius retentionis exercere potest creditor qui pignus habet, non tantum ob debitum pignoratum sed quoque propter alia debita:


XIII. Item qui impensas in rem fecit aut labores circa illam præstatit v. g. die Handwerker das Kleid, der aduocat die acten.

XIV. Custodia dat legem deposito.

XV. Datur etiam depositum rei immobilis.

XVI. Depositum est res priuilegiata, nec compensatio vel retentio in illo locum habent.

XVII. Imo ipsa concessio vsus depositi non tollit eius priuilegia.



Diss. Halle 1737(1)

ULB Halle
003 855 163


3



56.

vD 18





7105 1737
PROGRAMMA IVRIDICVM
DE
SORITE FALLACI
ET DE
SENSV
7
LEGIS CLXXVII, D. DE VERB. SIGNIF.
IVNCTA
LEGE LXV. D. DE REGVL. IVR.
Q.V.O
DISPVTA TIONES SABBATHINAS
PVBLICAS
INDICIT
ET
AD EAS AVDIENDAS
PATRONOS ATQVE FAVTORES
QVA DECECT OBSERVANTIA
INVITAT
D. IOANNES TOBIAS CARRACH
ASSESSOR SCABINATVS ET IVRIVM PROFESSOR
PVBLICVS EXTRAORDINARIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.
MDCCXXXVII.